tuum. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speravi in sermonibus tuis. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque: quia in iudiciis tuis supersperavi. Et custodiam legem tuam semper: in seculum et in seculum seculi. Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisivi. Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum: et non confundebar. Et meditabar in mandatis tuis: que dilexi. Et levavi manus meas ad mandata tua que dilexi: et exercebor in iustificationibus tuis. Gloria.

Zay. Memor esto verbi tui servo tuo: in quo mihi spem dedisti. Hec me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum vivificavit me. Superbi inique agebant usquequaque: a lege autem tua non declinavi. Memor fui iudiciorum tuorum a seculo domine: et consolatus sum. Defectio tenuit me: pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Cantabiles mihi erant iustificationes tue: in loco peregrinationis mee. Memor fui in nocte nominis tui domine: et custodivi legem tuam. Hec facta est mihi: quia iustificationes tuas exquisivi. Gloria patri. Ant.

Alle luia alleluia alle luia alleluia. V. Ego dixi domine miserere mei. Sana animam meam quia peccavi tibi.

Ad vesp. sup ps. anth. Alleluia. Euouae.

Heth. Portio mea domine: dixi custodire legem tuam. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere